

tisferi possit; 3^o mutuarius debet aliquid supra sortem dare ob sumptus ad mercedem ministrorum domusque administrationem necessarios; 4^o debet etiam pignus rei mutuatae aequivalens tradere, quod, nisi accepta statuto tempore reddat, vendendum est. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 756. *in fine.*

II. Montes istis conditionibus instituti liciti sunt, nec ullo modo usurarii independenter a quocumque alio titulo ad lucrum (*). Ratio est, quia etiam independenter a quocumque alio titulo nullam usurae labem sapiunt; siquidem satisfieri debet expensis Montis et ministris, quorum labor et cura est vere pretio aestimabilis. — S. Lig. *ibid.*

880 — QUAER. *An Montes Pietatis institui possint a privatis?*

Resp. Affirm. probabilius cum Lessio. Ratio est, quia parvi refert ad rationem usurae, utrum institutio sit publica an privata, dummodo privatus non amplius accipiat, quam quod necessarium est ad se indemnem servandum.

SECTIO II.

DE CONTRACTIBUS ONEROSIS

Nimirum 1^o de venditione et emptione; 2^o de societate et trino contractu; 3^o de locatione et conductione; 4^o de cambio; 5^o de censu; 6^o de fideiussione, pignore et hypotheca; 7^o de assecuratione, sponsione, sortitione seu loteria et ludo.

nire de lucro ex solo mutuo facto, sicut fit in Codice Civili Francorum, quin dicat se concedere ius tale lucrum percipiendi.

Feria IV, die 31. Augusti 1831.

In Congregatione Generali S. Officii... propositis superioribus precibus Rev. P. D. Episcopi Vivariensis, idem Eminentissimi et Reverendissimi Domini (Cardinales), praehabitis Dominorum Consultorum suffragiis, dixerunt:

Provisum in Decretis feriae IV, 18. Augusti 1830., atque dentur Decreta.

Eadem die et feria SS. D. N. Gregorius divina provid. Papa XVI, in Audientia R. P. D. Assessori S. Officii impertita Resolutionem ab Eminentissimis captam approbavit.

Porro Decreta 18. Augusti 1830. con-

tinentur Responso sup. relato, quod Rhedonensi Episcopo eadem S. Congregatio, probante Pio Papa VIII, reddiderat, quodque, cum nullam mentionem faciat tituli Legis Principis, dubitandi causam extitisse patet.

(*) Ita Leo X. Const. *Inter multiplices* 4. Maii 1515. Porro S. C. EE. RR. 20. Decembris 1838. permisit servari consuetudinem, qua quod percipiebatur praeter necessaria expensis et conservationi montis, erogaretur in pios usus, nominatim in maintenance templi pauperrimi pagi et ad pauperes sublevandos in caritate annonae; certior autem de hac re prudenter populus fieri debet.

CAPUT I.

DE VENDITIONE ET EMPTIONE

Dicetur: 1^o de natura venditionis et emptionis; 2^o de iusto pretio; 3^o de praecipuis venditionum et emptionum speciebus.

ARTICULUS I. — DE NATURA VENDITIONIS ET EMPTIONIS.

881. — Contractus venditionis et emptionis definitur: mutatio pretii cum merce, aut vice versa; vel: contractus onerosus dandi determinatum et iustum pretium pro merce, aut vice versa. — *Ita Ius utrumque, Romanum, et Gallicum.*

Principia. — I. *Ex Iure Romano.* Venditio solo partium consensu perficitur, nisi partes de conficienda scriptura conveniant. Dominium autem rei non transit ad emptorem, nisi facta traditione. Imo nec transfertur dominium rei etiam emptori traditae, donec ab emptore pretium solvatur, vel offeratur, aut saltem praestetur vel fideiussio, vel fides de illo. Hinc antea emptori ius ad rem tantum, non vero in re competit. — S. Lig. 795. et 796.

II. *Ex Iure Gallico.* 1^o Quaelibet venditio solum partium consensu perficitur, absque ulla legali formalitate. Tria igitur requiruntur et sufficiunt, scilicet res, pretium, et consensus. Proinde scriptura non nisi ad probationem requiritur. Hinc dominium statim et ante rei traditionem transfertur. Excipitur tamen, quando agitur de rebus, quae iuxta mensuram venduntur, aut gustari solent; tunc enim venditio perfecta non est, nisi res mensurata aut gustata fuerit (art. 1582-1585) (*). 2^o Cum venditio summam 150 fr. excedit, ut in foro externo probari possit, scriptum authenticum vel privatum requirit (Art. 1341.) (**).

882. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *An venditor teneatur rei defectus manifestare?*

Resp. Distinguendum est; defectus enim sunt 1^o substantiales, vel accidentales tantum; 2^o occulti, vel manifesti; 3^o insuper vel de iis venditor interrogatur, vel non. Hinc

Dico 1^o *Venditor in omni casu tenetur manifestare omnia vitia rei substantialia tam in se quam relative ad finem notum emptoris, seu ea omnia, quae rem aliam faciunt, vel eam noxiam, aut notabiliter inutilem reddunt; secus de pretio tenetur.* — *Ita ex omni iure,*

Dico 2^o *Venditor interrogatus, tenetur omnia vitia occulta manifestare, etiamsi rem noxiam aut inutilem non reddant; secus enim dolum*

(*) Ita et C. I. artt. 1447-1450.

(**) Ita et C. I. art. 1341.

committeret. Proinde si dolus fuit *vera causa* emptionis, contractus est rescindibilis. Si vero dolus fuerit *incidens tantum*, ita ut emptor, vitio cognito, etiam emisset, sed non tanti, restituere debet venditor solum quanti minus emisset emptor; quia secus nulla fere venditio fieri posset. — Si autem venditor *non sit interrogatus*, et vitium occultum non reddat rem inutilem, pro ratione vitii pretium minuere debet. Ratio est, quia aliter res pluris venderetur, quam valeat.

Dico 3^o Venditor non tenetur *per se* ostendere vitia rei accidentalialia de se manifesta, modo imminuat pretium pro rata defectus. Ratio est, quia tunc non fit iniuria emptori, nec ratione pretii, quod imminuitur, nec ratione vitii, quod si non viderit emptor, sibi imputare debet. Excipe tamen, nisi emptor sit valde rudis, quia respectu illius vitium censetur occultum. Excipe etiam, si venditor specialiter interrogetur de tali defectu. — S. Lig. n. 823.

883. — QUAER. 2^o *An venditor teneatur de omnibus damni ex vitio rei venditae sequentibus?*

Resp. Non tenetur, nisi de damnis praevisis, quia non potuit suscipere obligationem quoad ea, quae ne in confuso quidem praevidit, ut constat ex dictis in *Tract. de iustitia*, n. 658.

QUAER. 3^o *Ad quid teneatur venditor quoad rei traditionem?*

Resp. 1^o Rem et accessoria tradere emptori debet loco et modo, de quibus in contractu conventum est; 2^o rem tradat statuto tempore secus emptor rescissionem contractus aut indemnitate petere potest (1); 3^o tenetur tradere rem vacuum ab alterius possessione et aliis oneribus inconsuetis.

884. — QUAER. 4^o *Ad quid teneatur venditor, si res pereat ante vel post traditionem?*

Resp. 1^o Ad nihil tenetur, si res pereat ante traditionem ex casu fortuito. Ratio est, ex *iure Gallico*, quia res perit domino, id est emptori (*). *Ita etiam* (nisi aliter conventum fuerit) tenendum est ex *Iure Romano*, licet venditor servet rei dominium, donec tradita fuerit (2). — S. Lig. n. 828.

Resp. 2^o Si res pereat ante traditionem ex culpa venditoris, tenetur

(1) Auctor hoc loco proponit dispositiones iuris gallici. Nam ius romanum mere damnat ad interesse, non vero ad contractus rescissionem.

(*) In iure I. art. 1470. §. 1. a die venditionis omnes fructus rei spectant ad emptorem.

(2) Rei periculum ad emptorem ex romano iure pertinet, tum quia eum etiam omne rei commodum sequitur, tum quia statim a perfecta venditione venditor incipit esse speciei (A. dixisset, rei in individuo) debitor, quem rei interitu liberari placuit. Vide Voet (lib. 18. tit. 6. n. 1.).

de pretio et sumptibus contractus (3), quia rem ut suam custodire debebat.

Resp. 3^o Si res pereat post traditionem ex vitio intrinseco, quod tempore traditionis existebat, tenetur pariter restituere emptori pretium acceptum, et solvere expensas contractus, si quae sint (4). Ratio est, quia vendidit rem inutilem, seu nullius valoris: ergo adfuit in emptore error circa substantiam contractus; ergo contractus nullus est defectu consensus et ipsius materiae, quae nullo pretio erat aestimabilis.

885. — QUAER. 5^o *Quaenam sint obligationes speciales emptoris, seu ad quid teneatur ratione pretii, eius foenoris, vel expensarum?*

Resp. 1^o Tenetur solvere pretium loco, tempore et modo determinatum in contractu; secus venditor potest contractus rescissionem petere, vel, si mavult, ad solutionem pretii cogere.

Resp. 2^o Tenetur solvere foenus pro pretio non soluto a die quo rem possidet, si res sit frugifera, licet per accidens nullos fructus dederit a tempore venditionis, nisi venditor dilationem ad solvendum emptori dederit; quia non est aequum, ut emptor simul rem et pretium habeat. Si vero res non sit fructifera, non tenetur ad foenus solvendum, nisi in mora culpabili fuerit, nec aliter conventum sit.

Resp. 3^o Tenetur solvere expensas factas pro asportatione rei venditae (*), pro scripturis (3) aut actibus authenticis; item pro sumptibus necessariis ad rei conservationem a die venditionis, nisi alio modo pactum fuerit.

886. — QUAER. 6^o *An valeat emptio rei mobilis alteri venditae, sed nondum ipsi traditae? (6).*

Resp. 1^o *Afirm.*, si res secundo emptori tradatur, modo hic bonae fidei fuerit. *Ita ex omni iure* (*). Sed tunc venditor tenetur de damnis, si quae sint priori domino illata. — S. Lig. n. 827.

(3) Non solum ad ista, sed etiam ad id, quod interest, venditor tenetur. Vid. Voet (lib. 18. tit. 6. n. 2.). Hoc ipsum adverte quoad seq. Resp. 3.

(4) Etiam huc revocandum illud est, quod in not. ad praec. n. 883. monuimus. Conf. Voet (lib. 19. tit. 1. n. 21.).

(*) Expensae traditionis debentur a venditore C. G. art. 1608. C. I. 1467.

(5) Quod A. dicit de *expensis pro scripturis*, id proprium est Iuris Gallici, non vero romani, quod nihil eiusmodi cavet.

(6) Quaestio reipsa non solet hic fieri de *utriusque venditionis valore*, sed uter emptor praefendus sit. Vid. Lugo (disp. 26. sect. XI.), qui rectissime quaestionem in ipso titulo instituit, *Cui debeatur res, quae eadem duobus emptoribus ex intervallo vendita fuit.*

(*) Cum tamen ius G. et I. statuunt, perfecta venditione per consensum, proprietatem rei spectare ad emptorem, tum venditionem rei alterius esse nullam (C. G. art. 1599. c. I. art. 1459.): haud facile intelligitur dispositio iuris civilis, quam A.

Resp. 2^o *Neg.*, si emptor fuerit malae fidei, vel si res non adhuc tradita sit secundo emptori. Ratio patet ex ipsis legis terminis, ex qua secundus emptor bonae fidei non potest praevalere priori, nisi ratione possessionis. — S. Lig. *ibid.*; Cod. civ. 1141.

887. — QUAER. 7^o *Quam vim arrhae venditioni addant?*

Resp. 1^o Si apponantur promissioni venditionis tantum, non confirmant contractum, sed unusquisque e contrahentibus resilire potest. Verum in hoc casu, si resiliat is qui arrhas alteri tradidit, eas simpliciter amittit; contra si resiliat is, qui eas accepit, duplum restituere debet, id est arrhas acceptas, et insuper valorem illis aequalem.

Resp. 2^o Si apponantur ipsimet venditioni, non faciunt eam conditionalem, sed argumentum sunt venditionis contractae; pro parte enim pretii computantur, vel in securitatem solutionis dantur; unde nullus ex contrahentibus, altero invito, resilire potest. In dubio autem an promissioni contractus, vel ipsimet contractui adiectae fuerint pro minimo standum est, seu soli promissioni venditionis adiectae censentur. *Ex Iure Gallico* promissio venditionis non distinguitur ab ipsa venditione (*).

QUAER. 8^o *An, et quomodo vendi possint iura incorporea certa vel incerta seu litigiosa?*

Resp. ad 1^{um} *Iura incorporea*, ut chirographa, credita ususfructus, ius ad hereditatem apertam, si *certa sint*, vendi vel quocumque alio titulo ad alium transmitti possunt, sicut caetera iura. Eorum autem traditio fit remittendo chirographa, aut alia scripta authentica.

Resp. ad 2^{um} *Iura litigiosa*, seu circa quae lites moventur, pariter vendi possunt pro rata probabilitatis fortunae secundae. — *Ita omnes.*

888. — QUAER. 9^o *Quandonam venditor teneatur de evictione rei?*

Resp. 1^o Tenetur de *evictione*, quoties emptor iuridice deturbatur a possessione rei emptae (7). Excipe nisi aliter in contractu conventum fuerit. Ratio est, quia venditor dominium rei tunc transferre nequit (1626.).

Resp. 2^o Tenetur etiam ad pretium emptori refundendum, quando deprehenditur, rem venditam pertinere certo ad tertium hic et nunc reclamantem: eadem autem est ratio; venditor enim non potuit transferre rei dominium, quod ipse non habebat. Verum ad hoc non tenetur in conscientia ante sententiam iudicis, nisi omnino certo ipsi constet, rem

heic memorat, quam et habet. C. I. articulus 1126. At in iure romano nec ante traditionem dominium rei transfertur nec venditio rei alterius est per se nulla, sed venditor tenetur de evictione et de interesse.

(*) Promissio scilicet mutua vendendi

et emendi rem determinatam sub certis conditionibus art. 1389. Id non habet C. I. qui et de arrhis silet.

(7) Intellige de emptore deturbato a rei possessione post iudicalem rei ablationem ex praecedente iure, vel domini vel pignoris ex parte petitoris.

revera esse illius tertii; nec tenetur fidem facile praebere aliis ita esse asserentibus, cum praesumptio ipsi faveat, nec aliunde sententia iudicis intervenerit — *Recole dicta de evictione in Tract. de Iust. n. 638.*

ARTICULUS II. — DE IUSTO PRETIO.

889. — Duplex est: 1^a *legale*, quod a lege determinatur; 2^o *naturale* seu *vulgare*, quod valori rei respondet iuxta communem hominum aestimationem.

Pretium autem naturale est 1^o *summum*, supra quod res aestimari non solet; 2^o *infimum*, infra quod res generatim non aestimatur; 3^o *medium*, quod inter utrumque interponitur.

890. **Principia.** — I. Pretium *legale*, seu auctoritate civili constitutum, habendum est ut adaequatum valori rei, et ideo servandum est sub onere restitutionis. Ratio est, quia ad auctoritatem civilem pertinet statuere quidquid ad commercium publicum attinet, cum leges pro bono communi condere possit. — *Ita omnes.*

Aliquando tamen licet legale pretium excedere, scilicet 1^o si a maiore hominum parte non servetur, Principe tacente; 2^o si mutatis circumstantiis taxa evadat iniusta; 3^o si merces sint notabiliter solito pretiosiores, vel deteriores.

II. Deficiente pretio legali, illud solum habendum est ut iustum, quod tale determinatur aestimatione communi, si agatur de merce quae apud multitudinem appretiationem habeat; quia pretium adaequatum eiusmodi rerum ex ipsarummet utilitate ad communes usus deducitur. Porro appretiatio talis utilitatis nequit melius haberi quam per communem aestimationem. — *Ita omnes.*

Si vero res vulgarem aestimationem non habeant, ut sunt gemmae, tabellae pretiosae, etc., *probabilius* aestimandae sunt iuxta iudicium peritorum in ea materia, attentis circumstantiis, spectata rei novitate, antiquitate, raritate, etc. Ratio est, quia ipsi in eiusmodi reputantur iudices idonei prout vulgus in vulgaribus. Opposita tamen sententia ut *probabilis* apparet, quia in eo casu iustum videtur pretium, de quo contrahentes conveniunt. Sic quoad utramque sententiam S. Lig. n. 807. — In praxi non sunt inquietandi illi, qui bona fide et libere ad proprium arbitrium in talibus rebus conveniunt. — *Ita Salmant. — Gousset. n. 842.* A fortiori iustum reputandum est illud pretium, de quo pars utraque convenit, si pretium prorsus ignoretur, quia utraque tunc periculo exponitur. — S. Lig. n. 802. *in fine.*

891. **Quaesita.** — QUAER. 1^o *An venditor rem carius vendere possit ob specialem affectum, quem erga eam experitur, vel commoditatem quam ex ea percipit?*

Resp. ad 1^{um} *Affirm.* Ratio est, quia affectus domini ad rem suam

est vero pretio aestimabilis, cum privatio rei sit pro ipsa maior. — *Ita communiter.* — S. Lig. n. 807.

Resp. ad 2^{um} Affirm. etiam a fortiori; siquidem privatio specialis commodi reddit rem multo pretiosorem venditori, et aequum est, ut pretium augeat ratione maioris iacturae, quam patitur. — S. Thomas, 2. 2. qu. 77. art. 1. et seq., et alii communissime.

892. — QUAER. 2^o *An venditor rem possit carius vendere ob affectum vel utilitatem specialem emptoris?*

Resp. Negant communiter theologi, quia maior utilitas vel affectus non est venditoris, et proinde ab ipso vendi nequit, alioquin venderet, quod suum non est. — Ita S. Thomas, qu. 77. art. 1.: *Si aliquis multum iuvetur ex re alterius quam accepit, ille vero qui vendidit non damnificetur carendo re illa, non debet eam supervendere; quia utilitas, quae alteri accrescit, non est ex vendente, sed ex conditione ementis: nullus autem debet vendere quod suum non est.* — Consonant S. Lig. n. 806. et Carrière, n. 692.

Affirmant tamen quidam, eo quod venditor emptori illud commodum procuret; sed haec ratio prorsus debilis videtur, ut ex doctrina S. Thomae evidenter patet.

893. — QUAER. 3^o *An liceat vilius emere in gratiam venditoris emptorem quaerentis?*

Resp. Affirm. Ratio est, quia res ultroneae vilescunt, et pretium rei decrescit, quando res est parum utilis emptori, et hic in gratiam venditoris emit. *Ita communiter cum* S. Lig. n. 802.

QUAER. 4^o *An etiam liceat vilius emere, ubi merces venduntur ob paupertatem?*

Resp. Affirm. probabiliter. Ratio est, quia res ultronea iuxta communem aestimationem pretio decrescit. Inopia autem venditoris non efficit, ut communis aestimatio mutetur. Negant tamen alii *probabiliter.*

894. — QUAER. 5^o *An liceat carius vendere ob dilationem solutionis pretii, aut vilius emere ob anticipatam solutionem?*

Resp. Affir. saltem *probabiliter*, modo non excedatur taxa legalis pro mutuo, aut ratio alicuius tituli. Ratio patet ex dictis supra de usura n. 863. et seq. (8).

QUAER. 6^o *An etiam chirographa et credita possint vilius emi ob anticipatam solutionem?*

Resp. 1^o Affirm. omnino, si sint incertae vel difficilis solutionis, quia tunc notabiliter vilescunt.

(8) Videlicet carentia pretii, quo tempore differtur solutio, onus est pretio aestimabile. Voces autem mutui aut rei seu pecuniae mutuatae iuxta ea, quae

fuse superius dicta sunt, abusive adhibentur. Diversae enim naturae censendus est contractus, quo ex his *lucrum* quaeritur.

Resp. 2^o Affirm. probabiliter, etiamsi sint certae et facilis solutionis. Ratio est, 1^o quia non emitur pecunia, sed actio in illam, et ideo censetur iustum pretium illud, quod communiter pro talibus chirographis solvitur... — Ita S. Lig. n. 829., etc...; 2^o quia aequivalent pecuniae mutuatae; proinde ex eadem ratione ac in mutuo, licet percipere lucrum moderatum, iuxta taxam legalem. — *Ita nunc praxis communis.*

895. — QUAER. 7^o *An possit quis multo minoris emere credita solutionis valde difficilis in se, si propter circumstantiam sibi specialem solutu fiant facilia?*

Resp. Affirm. probabiliter. Ratio est, quia facilitas obtinendi solutionem non pendet a re, quae venditur, sed ab ipso emptore; valor autem alicuius rei a communi aestimatione, non vero a circumstantia particulari ementis determinatur. — S. Lig. n. 829.

QUAER. 8^o *An possis pretio currente vendere rem, quam scis mox minoris valituram?*

Resp. Affirm. probabiliter et verius. Ratio est, quia pretium praesens est iustum et nondum immutatum, modo tamen scientia haec sit privata; si enim communis esset, iam mutaretur. Aliquando tamen peccare posses contra charitatem. — S. Thomas. — S. Lig. n. 824. — *Hom. apost.* n. 188.

896. — QUAER. 9^o *An possis pretio currente vendere rem mixtam cum alia viliori?*

Resp. Distinguendum est, scilicet 1^o si commixtio sit noxia vel reddat rem *notabiliter* deteriore aut minus utilem, peccas contra iustitiam, ut patet; 2^o si res tua sit extraordinariae bonitatis, potes probabiliter illam cum viliori mixtam pretio communi vendere: 3^o si materiam viliozem ita per industriam meliori admisceas, ut melius temperetur potes vendere eam consueto pretio. At in praxi hoc non est facile permittendum ob hallucinationis periculum. — S. Lig. n. 820.-823.

897. — QUAER. 10^o *An teneantur ad restitutionem mercatores, qui fraude vel mendacio inducunt emptores ad merces suas emendas maiori pretio, quam emissent, licet summum pretium non excedant?*

Resp. 1^o Quoad fraudem, affirm. Ratio est, quia fraus est causa efficax et iniusta damni, quod emptor patitur: unusquisque autem ius habet strictum, ut fraude vel dolo non inducatur ad damnum quodpiam patiendum. Ergo...

Resp. 2^o Quoad mendacium, per se idem dicendum foret, cum etiam illud sit de se causa iniusta damni. Attamen ordinarie mendacia vel etiam periuria, quibus mercatores affirmant merces tanti sibi valuisse, vel tale pretium sibi oblatum fuisse, habenda non sunt ut fraudes realiter damnificativae; ratio est, quia haec adeo inter illos sunt frequentia

ut eis fidem fere nemo adhibeat. Excipiendum tamen est, si quando ob specialem fiduciam in venditorem mendacium censi debeat causa contractus. — S. Lig. n. 805. — Lacroix, n. 956. — Reuter, n. 223.

898. — QUAER. 11^o *An vel quomodo peccent mercatores, qui interrogati de pretio mercium, illud notabiliter exaggerant?*

Resp. 1^o Si revera intendant hoc pretio vendere, peccant contra iustitiam, inique alienum appetendo; et ad restitutionem tenentur, si de facto pretium illud ipsis solvatur.

Resp. 2^o Si vero intendant tantum dare emptori locum offerendi suum pretium, ut sic ad iustum pretium deveniant, excusantur, quia notum est et consuetum, mercatores ita loqui, ut emptores ad iustum pretium perducant.

QUAER. 12^o *An peccent contra iustitiam, qui rem venditam infimo pretio, ante traditionem imminuunt vel adulterant?*

Resp. Affirm., quia agunt contra pactum cum emptore initum. Quamvis enim liceat summo pretio vendere non licet tamen mercatori, qui infimo vel mediocri pretio vendat, occulte sibi comparare pretium mediocre vel summum, imminuendo qualitatem mercis, aut de mensura vel de pondere detrahendo; secus inutiles prorsus forent conventiones.

899. — QUAER. 13^o *An peccent contra iustitiam mercatores europaei, qui maximo pretio vendunt apud Indos cultellos, specula, et alia eiusmodi, quae apud nos vilioris pretii habentur?*

Resp. Neg., quia haec licet viliora sint in nostris regionibus, communiter tamen magni aestimantur ab Indis vel Sinensibus etc.; pretium autem vulgare ex communi aestimatione hominum regionis determinatur. Ergo... — Carrière, n. 699.

900. — QUAER. 14^o *An peccent contra iustitiam, qui vili pretio emunt res pretiosas, quando venales exponuntur apud veteramentarios?*

Resp. Neg., quia res illae censentur amisisse pretium antiquum, et aliud accipere consuetudine, seu contrahentium conventionem. Unde res eiusmodi ratione pretii maximam recipiunt latitudinem. — S. Lig. n. 807. — Sic aliquando emuntur paucis assibus libri, qui quinque vel decem francis vendi potuissent. Idem dicendum de emptione mobilium veterum, quae dicuntur gallice *de rencontre*, quia haec minoris valoris communiter habentur. — Carrière, n. 695. 699.

901. **Resolves.** — 1^o Mercatores, qui minutatim vendunt, possunt aliquando carius vendere, quam qui vendunt in magna quantitate; quia debent maiores labores, et expensas, maiusque tempus impendere ad eas conservandas, atque emptoribus distribuendas... Sic ab iniustitia excusantur caupones, stabularii, etc., qui avenam, foenum, paleas et alia carius vendunt. — S. Lig. n. 809.

2^o Potest etiam carius vendi, si pretium ab emptore sit tradendum tempore, quo res sit pluris valitura. Sic pariter potest vilius emi, si res tradenda sit tempore, quo minus valebit.

3^o Si venditor et emptor ignorent pretium rei, et de certo pretio contrahant, valet contractus, modo uterque ex aequo et bono procedat; quia si uterque pretium iustum ignoret, uterque aequali periculo damni se exponit, et voluntarie de iure suo cedit.

4^o Res ultra iustum pretium non ideo vendi potest, quod venditor eam ex sua ignorantia vel imprudentia aut etiam ex casu fortuito maiori pretio emerit, vel subierit maiores sumptus, quam vulgo alii solvant aut subeant. Ratio est, quia pretia rerum non crescunt aut decrescunt ex hoc quod uni vel alteri accidit, sed ex eo quod communiter contingit. Neque ex eo quod aliquis privatus mercator fuerit furtum passus vel naufragium, in aestimatione vulgi adaugeri solet pretium rerum: sicut neque crescere solet pretium frumenti, eo quod unus vel alter rusticus fatali grandine fructus agrorum suorum perdiderit. — Secus autem dicendum foret, si multi mercatores in naufragio suas merces perdidissent, quia merces rariores factae eo ipso pretio crescerent. — Elbel, n. 587.

902. — 5^o Non probanda est praxis mercatorum vel artificum, qui ut ad suam officinam plures attrahant, solent, munera dare ancillis, famulis, filiisfamilias, etc.; postea vero huiusmodi expensas tacite compensare nituntur adaugendo pretium rerum ultra iustitiam. Sic enim secreto cogunt dominos ipsos ad eas donationes iniuste refundendas. — Elbel, n. 583. — Secus vero si cum ipsis iustum pretium servant.

6^o Pariter reprobanda est praxis eorum mercatorum, qui merces suas vilissimo pretio venales exponunt, ut emptores ad se attrahant; deinde vero pondus aut mensuram corrumpunt, etc. Ratio est, quia sic emptores decipiuntur iniuste. — Elbel, n. 523. — Lugo, D. 26. sect. 8., etc.

7^o A fortiori reprobanda est praxis eorum, qui res alienas bona fide emptas, domino comparenti restituere nolunt, nisi prius pretium pro iisdem expensum refuderit. — Elbel, n. 691. Excipe tamen quoad Galliam (*), nisi res in foro publico vel a mercatore talia vendente emptas fuerit (Art. 2280.). — Vide supra n. 644.

8^o Generatim in restitutione facienda ob laesionem iusti pretii haec sunt tenenda: 1^o si *de venditore* agatur, excessus iniustus computandus est a summo pretio, quia hoc pretio vendere potuit; unde emptor non fuit laesus, nisi in eo quod pretium supremum superat; 2^o si vero *de emptore* agatur, defectus pretii computandus est a pretio infimo, quia

(*) Quod et C. I. recepit art. 709. ut iam monuimus.